

BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI


3195


ME



173

Handwritten text on a label, oriented vertically and written in cursive script. The text is partially obscured by a horizontal line. The visible words include "Handwritten", "New Street", and "London".





NOBILIS ET GENEROSI DOMINI
FRIDERICI LVKOMSKI
DE LVKOMLA, &c. SIGISMUNDO
EIVS NOMINIS III^o POLONIAE REGI
à Secretis :

ET

GENEROSAE LECTISSIMAEQ. VIRGINIS
BARBARÆ, GENEROSI DOMINI
STANISLAI WĘZIK, FILIAE:

Epithalamium :

CONSCRIPTVM

AB ANDRAEA LOECHIO SCOTO.



8.912

DISTICHON

Annum & Diem nuptiarum continens.

Septima Vt Octobris Cessit LVX ante Calēdas.

NoX LICItos sponsis sVasIt InIre thoros.

*Domina Barbara Kocoborska, Bogale, grjbe cyrj slyc etogda
cljrbjng dryd bjoend.
Hac obitjba libi ridibns male cilla, Canceris*



Distichon
1913. 3. 195

Epithalamium.

SI vacat, atq; rudem non auersare Mineruam,
Donec post melius tibi se, Friderice, Camœnæ
Exornent, licet incultum lege fronte serena
Carmen, & exiguum veri cape munus honoris.
Barbara quando tibi socialis fœdere lecti
Iam coniuncta fuit, lachrymans sic orsa Minerva est
Cecropia: Heu, quis nunc amnes, quis prona relabi
Flumina, quis riuum superare cacumina montis
Posse neget, quando talis tantusque cohortis
Dulciloquæ fautor, dudum & mea cura Lukomus
Pollicitus meliora mihi, turbæque sororum,
Subtraxit sese, & Cypriæ sectatur amores!
Quid coluisse viro Pindi iuga profuit alti?
Admotis gustasse labris Heliconis & undas:
Non sat me victam esse semel pastoris iniquo
Iudicio Idæi, & Veneri data præmia palmæ?
Iraisci cogor matrem mihi rursus amorum
Præferri cernens, iustasq; accendor in iras.
Audiit hæc Erato, famam miserata tuique
Innocui mulcens sic castam Pallada dixit:
Parce, precor, certumque tibi fidumq; ministrum

Ne preme suspicione graui: te offendere quānam
Lukomius ratione potest? Sedatur amores
Dicis: sed licitos, & quēis tua crescere regna
Præcipuè cernes, quæ tu deserta videres,
Nî castæ auxilio Veneris stabilita vigerent.
Quoscunquē ille suo socero iam deinde nepotes
Offeret, hos omnes tibi natos esse ministros,
Cultoresque puta. Ergo thoros laudato Lukomî,
Addictumque tibi pacato lumine rursum
Aspice, præsidioque iuua, illiusque labores,
Te duce, speratum contingant denique finem.
Dixerat hæc Erato: at Pallas iam mitior illi
Assensit: quâ fraude tamen, cui nulla Hymenæi
Cura fuit, rogitat, superârint virginem amores.
Cui dea sic retulit non indignata rogari:
Diua sub umbrosâ platano Cytharæa sedebat,
Et niueis virides iungebat floribus herbas,
Cum subito strepitum nati venientis, & arcus
Agnoscit sonitum, quem dextera gestat Amoris.
Ille suæ, volitans per inania nubila, matris
Illabitur gremio, & circumdans brachia collo,
Accipe mater ait: scis quæ mihi gloria rursum
Parta sit his ipsis, quibus omnia vincimus, armis?

Cui

Cui genitrix ridens placido sic incipit ore :
Qui te adeò, qui, Nate, doli fecere superbum?
Forsan, ut es semper nimium temerarius, illum
Spernere qui nostræ consuevit vulnera dextræ
Dura coëgisti sub regna Cupidinis ire.
Cui puer : Hoc, genitrix, hoc me facit esse superbum
Quòd victus cedat frustra sibi tela parari
Qui mea dicebat : gelidos licet ille liquores
Pegasei biberit fontis : licet æthere lapsò
Numine feruescat, nostris tamen ignibus ardet.
Ast virgo quam vult Iuuenis medicamen amori
Reddere (cuncta hominum quibus est mutabile pectus
Tentari) haud ullis potis est mansuescere telis;
Haud quibus est pater incensus cum belua factus
Iuppiter Europam tergo tulit; haud quibus ignea
In medijs Neptunus aquis incendia sensit:
Vel Getico est sopita gelu, vel Gorgone visâ
In silicem durata, alboque simillima saxo
Coniugis Assyriæ, verso quæ in marmora vultu
Fluxit, & ardentem spectat fugitiua Gomorram.
Sic ait, at genitrix tum nondum certa futuri
Mercurium accedit, namque insidiosus amores
Inter fraterno ducebat tempora lusu,

Patris ad exemplum tauri qui cornua sumpsit:
Ille licet sciret, cuncta riuissa sororis
Ignarus veluti placido sic incipit ore.
An quid opus nostro tibi nunc, Cytharæa, labore?
Num meus est iterum genitor conuersus in aurum?
Num faciem tauri, rugosaque cornua sumens
Ludere mortalem, sceptri grauitate relicta,
Vult iterum Nympham, Dictæaque rura tenere?
Num Cybelen, quamuis anus & veneranda deorum
Sit genitrix, lentis succendis amoribus audax?
Posce operam, tibi namque libens impertiar omnem.
Cui Venus: ô germane potes meminisse puellæ
Sarmaticæ, usq; adeo quam tu me credere posses,
Nisi faceret nullo quod sanguine candor abundet:
Et noui, & meminisse iuuat, Cyllenius inquit.
Tum Venus: Ingenio fer opem, nostra omnia pridem
Arma in eam contrita iacent; spes nulla relicta
Est mihi nisi valeas animo suadere Hymenæum.
Nil opus hic longa verborum ambage, paratum
Et Iuuenem inuenies, & utrumq; in vota parantem.
Tolle moras, dum se præbet fortuna secundam,
Res patranda dies cum venit idoneus. Hermes
Sic urgente deâ pulchris talaria plantis

Alligat

Alligat, huic comites grex insidiosus amores
Addiderant sese, Thalassius, atque Hymenæus,
Nec non paruus Amor gestans de more pharetram.
Fungitur officio solers, & mobile pectus,
Pertentat Sponsæ, tacitum vulnusque subinfert:
Scilicet aligerum, geminos arcuque, manuque,
Præstantes docuit pueros ut quisq; sagittis
Secura incautæ transfigeret exta puellæ.
Nulla mora in pueris est, mox sonuere reducta
Cornua, dum multâ vi adducto ad tempora neruo
Dulcia sub fixis hæserunt tela medullis.
Lætitie causas ignorat dicere virgo,
Lætaturque tamen, niueo & candore ruborem
Immixtum præfert, ceu lilia candida vernis
Mixta rosis, proditque oculis sitientibus ignem.
Attamen & securi thori, tædasq; parari
Nescia, diuinæ fruitur sermone parentis,
Maternosque bibit mores, exempla que discit
Prisca pudicitia, donec conuiuia tectis
Ornari patrijs cernens, seseque reninci
Auro flauentes per candida tempora crines:
Mox tum multa rogat Genitricem, multa requirit,
Hæ quorsum dapibus mensæ, cyathisque struantur.

Mater

*Mater at amplectens charam de more puellam,
Oscula libavitque illi, dehinc talia fatur:
Illa dies venit, quã te promittere, Nata,
Est certis animus tædis; post fœdere sancti
Connubij iungenda viro es, iungenda marito.
Anxia responso Genitricis pulchra virago
In tepidos subito fletus prorupit, & ibant
Per roseos vultus lachrymæ, quas chara legebat
Admoto siccans oculos velamine Mater.
Et quid, Nata, opus est lachrymis: (lachrymasq̃ lo-
Absterfit) iam consensu submitte iugali (quædo
Colla thoro. Virgo pressis singultibus æthra
Suspicit, & solem, cui sic mœstissima fatur:
Cynthia, qui lustras candenti lampade terras,
Respice me inuitam, famulæque ignosce sororis:
Vos, Superi, testor non conciliabit amorem
Hunc mihi luxuries casto indignata teneri
Imperio; sed quò inclinant diuina parentum
Iussa sequor, quò fert cælum conuertoque mentem,
Et lex quæ fieri matres, & nubere cogit.
His super ingreditur Iuuenis, plausuque sonoro,
Post voces patrio dictas de more salutis,
Susceptus, iussusque gradu discumbere summo,
Ut pacta*

*Vt pacta auratis capiat sponsalia tectis.
Alternis ambo stupefacti obtutibus hærent,
Pulchra verecundo tingentes ora rubore.
Vix tantum quondam placuit Zariadres Odati,
(Vati si qua fides) vix insignis Zariadri
Odati placuit. Miratur frontis honorem, &
Virginis os roseum, flagrantis pabula amoris,
Quod, licet id cuperet, liuor non carpere posset.
Lumina dum spectat, tacitè, ambrosiosque capillos,
Quos genitrix fuluo in nodum collegerat auro,
Laudat. At illabi sibi virgo incendia quædam
Suauia, & vrentes sensit præcordia flammæ,
Dulcibus atque animi curis ardere medullas.
Risit paruus Amor, blandus risitque Hymenæus
Præfectus thalamis, simul & Cylleus ipse,
Istaque ferre iubet pueros bona nuncia matri.
Successu illi hylares gemmatis aëra pennis
Sulcant, hos Paphiæ iussus referuntque parenti.
Fortè Venus blando quæsitum frigore somnum,
Vitibus intexti gremio successerat antri,
Densaque lucidulos per gramina fuderat artus.
Stant iuxtà Idaliæ famulæ, prohibentque quietam
Compellant. Cerâ interea texebat auenas*

B

Par-

Paruus Hymen, modulosq̄, & pastoralia labris
Murmura tentabat relegens, orisq̄ recurſu
Diſſimili tenuem variabat arundine ventum.
Dumq̄ue ſonos iterans medio modulatur in æſtu
Carmina lætus Hymen, ſubitò peruenit ad aures
Vox iucunda deæ, ſtrepituq̄ excita reſurgit:
Atque hùc, inquit, ades tantæque ediffere cauſam
Lætitie. Ille reſert: Quid? adhuc ignara rogasne?
Maxima res effecta parens, ſolertia fratris
Tam vigil ardentem ſubitò inſpirauit amorem
Virgineo cordi, haud ulli vehementiùs unquam
Incubuit, genitrix, iterataque vulnera fixit.
Cautus Amor (puerum & monſtrabat lumine captum
Arcano calidas tingentem melle ſagittas)
Cyllemio doctus ſub pectora vulnus adegit,
Nulla ope Pæonia, nullis medicabile ſuccis.
Aſt ego quæ blandas, memorauit, cuncta puellas
Oblectare ſolent, ſegmenta, monilia, in aures,
Sic palpare genas finxi (mulcetque loquendo)
Debere inſignem Iuuenem, mirarier ora,
Oſcula ſic capere, & ſic amplexarier artus.
Stringere lacteolas finxi debere papillas,
(Nititur & dicens genitricis tangere pectus)

Sic, di-

Sic, digito inque gradum fractos sic ponere crines;
Inspiroque faces flammis, ignemque medullis.
Olfacit insidias virgo, mentemque moueri,
Inflammati animum: gaudet, simul & dolet ægra.
Iamque Cupidinei præcordia nescia teli
Ardescunt, tamen baud sat quid suspiria nouit
Significent, hylaris tantum mens omnis oberrat
In vultus quos fingit Amor. Quam sæpè medullis
Erumpunt gemitus, prolati temporis ordo
(Tempora si numeres, bene quæ numerantur amanti)
Effluxit decies, peragat cum Cynthia mensem
Vix supra. Licet æstiuos qui terminat ignes
Bartholomæus abest, sed nos tamen urimus ambos.
Hinc Iuuenem vidi, curis cum luce renatis,
Tecta reliquentem, velut illi tecta doloris
Semina subijcerent, & amœni murmuru riui,
Aut nemoris viridi frondosa silentia nactum,
Aurata cecinisse chely, voluisseque luctus
Solamen capere, & querulum mulcere dolorem:
Ast ubi consuluit vocales pollice neruos,
Lætaque mouisset vocum in certamina fila,
Iamque ibat celeri pars voce, at tardiùs acta
Pars sequitur grauiore sono, discrimine vocum

Concentus mixtumque melos resonabat acute,
Vota manu cecinit surdis iactata procellis.
Festinate horæ, rapidique recedite soles,
Volveite præcipiti tempus vertigine lunæ,
Ite dies celeres, agitate volubile cælum.
O quoties Zephyro dixit cum raderet undas
Istuleas alis leuibus: Pulsata querelis
Aura meis toties, & amari conscia luctus,
Sic neque Carpathius duris in cotibus alas
Atterat, & celeres non rumpant nubila cursus,
Hæc quibus & ventos, & conscia fila fatigo
Verba mei luctus inferto virgini in aures.
Plura locuturum rauco cum murmure stridens
Destituit Zephyrus. Nympe dum mutua sentit
Vulnera, dumque tuæ crescunt incendia flammæ,
Incusatque dies secum, discedere & horas
Haud citius, tardamque rotam non voluere Phœbè.
Ast, Genitrix, pactis faciant incommoda tædis
Ne qua moræ, Natæ quoquam nil luce minores
Illis quos Cybele, atque nurus gessere superbae
Dinorum parat ornatus, extrinsecus auro,
Argento, gemmisque graues, tyrioque rubore.
Interea textu famulae componere iussæ

Concurs

B 1

Gemmato

Gemmato thalamum, picturatisque columnis
Ædificant, qualem non Odatis Zariadri
Erexit, Pelopi qualem nec Lydia dives.
Crasque dies genialis erit, breue tempus eundi
Iam superest, rutilo nam summos lumine montes
Sol ferit, & pleno dudum caput extulit orbe.
Hæc puer: at factas risit dea Cypria fraudes,
Ambrosioque sinu pariter complexa fovebat,
Præfecitque thoris, nullum vinxisse cubile
Quæis sine, nec primas fas est attollere tædas:
Utque erat interiecta comas, turbata capillos,
Gumineis surgit stratis, natosque remouens,
Mox crines festina ligat, vestitur amictu
Seposito; caput auricomum peploque fluenti.
Nec mora, currum auibus teneris comittere alumnis
Imperat, hinc dictis affatur talibus agmen:
Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia neçte coronas:
Vos famulæ Idaliæ, quòcunque vocauerit usus
Diuerso properate gradu: pars pectine eburno
Multifidum discrimen aret: pars ordine ponat:
Pars varios neçtat flexus, variosque reflexus:
Ornatum capitis quoque pars fulgentibus aptet

Gemmis, impositus mox sese illustrior ipso.
Virgineis pars ex humeris demittere vestem.
Gaudeat, atque aurum tereti circumdare collo
Tortile, nexilibus nodis baccisque decorum.
Pars quoqueserta liget: viridi pars carpas in horto
Quicquid olet serpylla, rosas, casiamque, thymumque,
Abrotoni Menthaeque nemus: pars pingat alumnam
Floribus, os nardum spiret, sinus halet amomum.
Talis eat virgo, liceat mortalia rebus
Assimilare deum, qualis matertera Iuno
Suevit adire Iouem caelestia sceptrum gerentem.
Dixerat, & geminos properans componere amantes
Currum hilaris scandit: volucres violentius anni,
Phœbæi properant: iam nox accenderat ignes
Æthereos, & sole nouo successit Eous,
Quando de a optata portis exponitur aula.
Auro cuncta micant, lucet laquearibus aurum,
Auratis paries radijs varioque superbit
Aulæo. Quicquid vendit peregrina Damascus
Hic redolet, Syrium redolens humus halat amomum.
Hic hederâ, Lauro, croceo conspersaque rore
Sacra pavimenta, & plenis bene olentia aristis
Gramina strata iacent. Regali stragula luxu

Non

Non solum tribuere thoris, sed vilibus usum
Officijs, hominumque solo vestigia sumunt.
Attigit ut thalamum Venus improvisa, puellae
Caesariem Genitrix solio subnixâ corusco
Fingebat. Nymphis dextrâ laeva que Polonae
Idaliis stabant similes, haec nectaris imbres
Irrigat, haec morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat, sed tertia retrò
Dat varios nexus, & iusto diuidit orbe.
His super ingressa est subito Cytharæa cubile,
Nec non Idaliæ famulae, thalamosque iugales
Blandus Hymen socians, Charitesque amplexibus arctæ,
Arctatasque ligans Charites Concordia, nexu
Una duos animos, sicut duo corpora Iuno
Pronuba, coniungens. Stupuit cum Virgine Mater
Ornandi labor cecidit simul: ora de arum
Mortales vix ferre queunt, oculosque remittunt.
Voce metus adimens Sponsæ hæc dea Cypria fatur.
En Hymenæus adest, dextrâ iam lampade quassans
Flammeolo intectus croceo, potière cupito
Virgo viro, quamuis lachrymis tua gaudia cales,
Et roseus tegat ora rubor, pudeatque fateri.

Dixit

Dixit, & ornatus dederant quos ordine Nymphæ
Virgineo collo, membrisque micantibus aptat.

Interea mediâ volitans Hymenæus in æde
Iungite clamauit felici sydere dextras,

* Sanctaque longæuæ connectite fœdera vitæ.

Illa mouens gestu pectus faciemque venusto
Ibat, ut exoriens radianti Cynthia vultu,

Æmula fraterni currus noctemque pererrans.

Præcipuam veteres Nympharum Sarmatidarum,

Quæ sese victrix ob virginitatis honorem

Victima seruatae medias abiicit in undas,

Dixissent Vandam (fieret nû flore iuuentæ

Discrimen, bis ei nam septima voluitur æstas)

Ritogarum spreuisse procos nimumque priores

Despexisse pigere, & quod transmiserit annos,

Subdere colla iugo tandem, iungique marito.

Iam virgo coniuncta viro, connubia dictis

Firmata. Ornatas circum longo ordine mensas

Discumbunt Proceres : Famuli, turmaeque frequentes

Discurrunt : surdum spaciōsa per atria murmur

Confusumque sonat : cursant per tecta ministri,

Iamque dapēs & vina ferunt, paterasque coronant.

Pars dapibus reficit mensas, pars aurea gestat

Vasa

Vasa manu, pars crystallo splendentia purâ;
Ast alij vacuas gemmâ crateras in ampla
Implebant. Mox utquæ fames est pulsa ministri
Vasa Corynthis crateribus æmula tollunt,
Et mensas spoliant mantilibus. Algida seram
Interea lucem tacitis nox abstulit umbris.
Ast blandum facibus latè lucentibus inter
Noctis opacæ umbras petulans Hymenæa iuuentus,
Iam choreas initura vocat, facilesq; puellæ,
Iamque chelys, Latijque modi, patrijque sonabant.
Tum cauus haud lituus sonitum Taratantura durum
Edidit, haud tristivè sonabant atria planctus;
Sed tuba pacificos cantus strepitum osa minacem
Partitis retulit vicibus, sed tibia dulces
Ad cantus recinit numeros : sonus omnibus idem
Latitiæ fuerat. Dum mollibus organa cannis
Concinerent Nymphæ, quæis segnia pectora, & ipsum
Flectere Saturnum, patrem quoque testibus orbem
Alma Venus posset, saltant thyasosque frequentant.
Ut tandem placidæ suasit dare membra quieti
Nox, diua ad thalamos poscit Saturnia amantes.
Hinc atque hinc avidi saturent ut lumina vultu
Diuino comites cingunt, sed in agmine plures

Inuidere viri bona mox possessa marito.
Namque ubi composuit socium Concordia lectum
Fausto coniunxit nexu, & sic farier inquit.
Nulla dies unquam vestros diuellat amores.
Quos pietas æterna ligat, nullæ ante sepulchrum
Dissoluant lites: duo corda ferantur in unum,
Et longum vigeant placeat mens una & utrique.
Sic Erato, Friderice, tuos referebat amores
Legitimos, ast ut tandem nox iunxit amantes
Conscia non meminit. Sed ad ultima dicta reuertor.
Diua mihi hæc, inquit, licuit memorasse, nec ultra
Progrediar, sed & hæc Scotorum ad littora nati
Exiguo iuuenis calamo volitare per orbem
Te dictante iube: teneris impendit ab annis
Omnem namque operam nobis, consortia turbæ
Rimari solitæ nummos, cuique omnia sordent
Præter opes, fugiens, & quæis sitis acris habendi
Tabifico oblimat præcordia crassa veneno.
Hæc ubi dixisset fremuerunt viscera motu
Arcano, circa haudque pati præcordia sueta
Sentio feruorem Latium, (si fortè rigentes
Ulla queunt inter glaciès Boreæque sonori
Pectora nata gelu Musarum ardore calere)

Nuper

Nuper enim reduci, quo nemo est carpere fructus
Dignior Aonios, numeris gaudere volenti
Mintiadae, fateor, squallebat marcida vena,
Frustra & ad Aonios fundebam vota sorores.
Sed felix letusque vale, dulcisque puellae *vobis J. p. 17.*
Amplexu fruere. Innumeros quae compleat annos
O utinam tecum, & generosa prole parentem
Efficiat; ridere tibi post ter tria lunae *pat. g. mens. p. 101.*
Cornua quam videas. Brevibus quae colla lacertis
Amplectens blando curarum nubila risu
Discutiat, vobis vinculum & communis amoris
Sanguine communi (thalamis quod deficit unum)
Firmet. Vos Superi lucem concedite donec
Carmina laeta super picta incunabula fundam.

C R A C O V I A E,
In Officina LAZARI. Anno Domini
M D XCIII. Pridie Nuptiarum.



Quoniam enim videtur, quod nemo est capere scientiam
Dignior bonos, nunc in gaudio volent
Mentibus, sicut, quales, non cibus
Fertur, et ad bonos, sicut, non cibus
Sed hic, sicut, non cibus, dulcibus
Quoniam enim, sicut, non cibus, dulcibus
Omnis enim, sicut, non cibus, dulcibus
Efficit, sicut, non cibus, dulcibus
Cor, sicut, non cibus, dulcibus
Amplius, sicut, non cibus, dulcibus
Dignior, sicut, non cibus, dulcibus
Zugue, sicut, non cibus, dulcibus
Fertur, sicut, non cibus, dulcibus
Quoniam enim, sicut, non cibus, dulcibus


C R A C O V I A E


In Officina L A Z A R I Anno Domini

M D X C I I I I Pridie Nuptiarum.

Handwritten signature or initials, possibly "L. C. 1709".







11622

6376

16

